



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrum Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Philomathen. Nequicquam Musarum Juveniliū auctorem tegi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

Per me discetur, per me liber ibit in ora,
 Per me deliciae posteritatis erit.
 Quid memores fastos, lentæque volumina Pacis,
 Et de Parrhasiâ persequar arte librum?
 Nec non Cæsareis certantia vultibus æra,
 Et procerum vivis æmula signa notis?
 Quid titulos, & opes, & prisca nomina gentis,
 Et decora, & magnæ splendida facta Domûs?
 Quæ facilis nostris obtutibus ille recludit
 Omnia, vix aliis pervia luminibus.
 Dî mihi, Dî tantum servent Heroa clienti,
 Dulce decus Musæ præsidiumque meæ.
 CHISIA sic faveant mihi SIDERA, CHISIA QUERCUS
 Me tegat, & SENIS stet mea Cyrtha JUGIS.

A D

P H I L O M A T H E N.

*Nequicquam Musarum Juveniliam
 auctorem legi.*

Q Ualis, ubi Pharios exurit Sirius agros,
 Frugibus optatâ Nilus inundat aquâ,
 Et super arentes fuso natat æquore glebas,
 Et rigam lætis messibus ornat humum;
 At longè positis idem cunabula terris,
 Et caput ignotis celat originibus:
 Talis Mœonio quæ certent carmina Vati
 Fundis, & , ut magno Pindarus ore, ruis:
 Et Latium sermone beas, & devite venâ
 Fecundas, Vatum Maxime, Castaliam.

At cur Perrhæbi bene cognitus incola Pindi,
 Cor Charitum, nostri spesque decusque chori,
 Cur latitas, & lene sacræ caput oculis undæ,
 Quo veniunt Clario pocula digna Deo?
 Cur tegis ambiguâ JUVENILIS imagine MUSÆ
 Ingenii cultum divitiasque tui?
 Cur dubitas proprio dignari nomine fetum?
 Cur dubitas famæ pandere vela tuæ?
 Nequicquam, VIR MAGNE, lates: te nostra loquuntur
 Tempora, te Vatem sæcla futura canent.
 Admirata tuos Siren Acheloïa cantus
 Audiit, auditis cedere fassa suos.
 Cùm Phaëthontæ canerent tua carmina Nymphæ,
 Suspensio Cycnus plausit ab Eridano.
 Constitit auratâ captus testudine Tybris,
 Et jussit fluctus lentiùs ire suos.
 Sæpe tuos avidis Rhenus pater auribus hausit,
 Sæpe Mosella tuos, & piger Alpha modos.
 Nequicquam, VIR MAGNE, lates: Te Fama latentem
 Prodit, & Eois monstrat & Hesperiiis.
 Nec finit indictum Pietas, animusque periclis
 Altior, & pacis, quem profiteris, amor.
 Sichemios colles, & collibus addita testor
 Tempa, coronato suspicienda tholo.
 Vos Ubii testes, testis Mimigarda laborum,
 Et septem geminis Roma superba jugis.
 Eripe nunc ergo tenebris caput, eripe nocti,
 Et larvam fictis detrahe nominibus.
 Si minùs occultum Scyros celavit Achillem,
 Agnitus Æolidæ si fuit ille dolo:
 Si, qui regna tenet latè Parnassia, Phœbum
 Ora latère vetant, & coma digna Deo:

Si, licet obscurâ celetur nocte, pyropus
 Nativo rutilum provocat igne diem:
 An poterit diffusa tuæ lux aurea Musæ,
 An poterunt gentis signa latere tuæ?
 Sidera scintillant, sublimi vertice Quercus
 Eminent, & fenis Mons subit astra jugis.
 Sed pudor, & castæ divina modestia frontis,
 Nobilior Tyriis purpura muricibus,
 Vatis Apollinei titulos, nomenque recusat,
 Phœbeâque vetat tempora fronde tegi.
 Nec te grande sophos, nec famæ cura moratur,
 Nec fucō roseas gloria picta genas.
 Virtuti fatis est cælo se teste probari,
 Et sese famæ notitiæque negat.
 Ut neget, invitam curru sectatur eburno,
 Et circumfuso lumine vestit Honor.
 Sic radiant puro servata corallia vitro,
 Sic lucent calathis lilia virgineis.
 Sic adamas fundo mersus pellucet in imo,
 Sic micat auriferi dives arena Tagi.

E P U L U M

AUGUSTINI CHISII,

*In porticu supra Tiberim pensili, LEONI X.
 PONT. MAX. & compluribus Car-
 dinalibus datum.*

L Audarunt alii convivia ditis Elisæ,
 Et Luculleas, Alcinoique dapes,